

Kem 237 (1-16)

25

DE  
**STATV MORBO SO**  
**GENERATIM**

**GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM**  
**CONSENSV**

PRO  
**GRADV DOCTORIS**

DIE            IVLII        MDCCCLXXX. )

PVBLINE DISPVTABIT

A V C T O R

**AVGVSTVS FRIDERICVS ADRIANVS**  
DIEL

HASSO - GLADENBACENSIS.



G I E S S A E

APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN, ACAD. TYPOGR.

*'Tis with our Judgments as our Watches, none  
Go just alike, yet each believes his own.*

**POPE.**



*L. B.*

Cum solidioris physiologiae ac pathologiae fundamenta ARIADNES filum rationali therapiae largiuntur, mihi animus inde surrexit speciminis inauguralis thema ex pathologia mutuari. Confiteor quidem, libros, hanc & medicinae historiam pertractantes, cum perlegere me accinxii, ob auctorum dissensus, mihi saepe non combinandos, a proposito abstinere voluisse, sed iuueni ductione carenti aliquid condonari, incitatio fuit themati adhaere, ac L. B. ut primitias speciminis loco sistere; Qua tales itaque dijudicari, in votis est.

*SECTIO I.*

*DE SANITATE ET MORBO.*

*§. I.*

Corpus humanum pathologo aequa ac physiologo obiectum praecipuum suppeditat, hisque multa inuestigandi relinquit. Physiologo vitae sanitatisque veram connexionem, causas, & effectus nosse sufficit. Pathologo vero plura praeter haec addiscenda perlustrandaque supersunt, morbus nempe, huius caue variaque symptomata.

A 2

*§. II.*



## §. II.

Subiectis sanis, vita primum & maxime necessarium est praedicatum, huiusque existentia & perseueratio in corporis natura (a) sitae sunt. Sub natura, vero,

(a) Naturae significationem maxime ambiguam & multifarii sensus esse neminem fugit, atque secundum diuersa obiecta diuerso gaudere sensu. vid. R. BOYLE in Tr. de natura sect. 2. p. 9. Huc autem de corporis viui natura mihi tantum sermo est. — HIPPOCRATES Epid. 1. 6. sub natura, corpus, omnibus conditionibus physicis ad suam conseruationem exstructum, intellexisse, magni monstrarunt viri vid. I. H. SCHVLTZE in Hist. med. §. 265. AB HALLERI Prael. in instit. m. BOERH. T. VI. §. 695. p. 8. van SWIETEN Comm. T. I. §. 1. Idem vult ARISTOTELES, inquiens de vsu part. I. VII. c. 9. de tem. I. 2. c. 3. Naturam principium esse quoddam, & causam vt id moueatur atque quiescat, in quo primo per se, & non per accidens inest. Lib. Physi. 2. col. 428. edit. L. B. 1549. GALENV in calidum innatum, 1. ignem plasticam fese mouente naturam sibi fistit, forsitan occasione philosophorum v. g. EMPEDOCLIS, HERACLITI ductus, ex igne omnia fieri docentium. vid. ARIST. Metaphys. I. I. col. 1373. Magna autem cohors eorum est, in spiritu gubernante omniaque penetrante, nunc corporeo, nunc incorporeo, naturam quaerentium. Ut sectae pneumaticae coauus, ATHENAEVS Attalus a GALENO iam notatur, contra quem eiusque sectarios in libro de pulsuum differentia infinitam suscepit contentionem. Huc ex neotericis HELMONTIVS cum suo Archaeo, ope Blas agente, eius affecta AB HEER, DOLAEVS cum suis regibus, FLVDDIVS cum angelis fortalitiis &c. &c. referendi



vero, omnium potentiarum physicarum complexum mutationes ex fabrica sui corporis possibles producendi, mihi cum aliis sisto (b). Obseruatio loquitur, principium vitale, per totum corpus disseminatum, ad stimulum actuum, in corpore existere animali, mutationumque rationem continere. Vnum tantum est, veram in nobis constituens naturam. Hae mutationes, a principio vitali per stimulum internum productae, sola nobis sunt indicia corpus viuere, inque animalibus functiones i. actiones nuncupantur. Felices autem desunt, qui principii essentiam nudarunt. Quid ab HALLERI alacrior elementorum contractio (c)? Quid

## A 3

BVF-

di sunt. vid. WERDIGIVS in Medic. spirit. Proem. §. 12. & MORHOFII Polyh. T. II. L. II. p. 2. §. 5. — Haec doctrina alia sub larua in animam a STAHLIANIS fuit collata. vid. STAHLII Diff. de motu tonico vitali p. 51., vbi dicit causam motuum efficientem esse animam, quam vulgo naturam vocant. Quod HIPPOCR. SYDENH. &c. &c. sibi quoque associare studuere, ex M. ALBERTI scriptis patet. vid. Prop. de vero sensu medico naturae incorporeae hippocratico H. M. 1718. ac Epist. quod anima rationalis sit natura. Ex SYDENHAMO praecipue locum in eins Opp. S. II. c. 2. p. 78. in censem rapiunt, vbi tamen aperte causarum naturalium complexum sub natura comprehen dit, adiecta sententia, leges motuum habere finem, aque summo Arbitro dispositae.

(b) VNZERS Allgemeine Betracht. der Krankheiten. Hamb. Mag. T. VI. p. 292. ab HALLERI l. c. §. 695. pag. 8.

(c) HALLERI prim. lin. Phys. §. 407.



BUFFONII stamina plastica actua (d)? Quid NEEDHAMI Principium expansuum elasticum (e)? Effectus certe non causa sunt. An breuius se expedire placet, & in animam cum STAHLIANIS reiicere? Verosimilius mihi BONNETO (f) est, id nunquam detegi. Natura agit ut cum HALLERO (g) loquar lego a Deo lata, a nobis nunquam extricanda.

### §. III.

Intimius functionum causas scrutaturo patet, magnam in naturae operationibus regere simplicitatem. Omnes partium solidarum functiones, & inde dependentes fluidorum progressus, secretiones, egestiones & quae sunt reliqua, solo perfunguntur motu, neque alia vis temere statuenda est, modificationes humorum


- (d) BUFFONII Histoire natur. gener. & partic. avec la descr. du cabinet du Roi. p. 189. & 320.
- (e) NEEDHAMII Nouv. observ. microsc. avec des decouv. interest. sur la compos. & decomp. de corps organ. a Paris 1750. p. 201.
- (f) BONNETI Confid. sur le corps organ. T. I. p. 10. "Je serois fort porté à penser que la destruction de notre globe n' arrivera que lors que les Hommes auront épuisé la connoissance des productions qu'il renferme"
- (g) HALLERI prim. lin. phys. §. 408. HELMONTIVS optime dicit" Naturam esse iussum Dei, quo res est id quod est, & agit, quod agere iussa est. BONNET I. c. T. II. p. 82. "La machine est montée, pour les mouvements executer, & elle les execute, desquelle est mise en jeu."



rum tam multifarias fibi sistere, si moram in humoribus excipimus. In partium fluidarum actione in solidas, & harum reactione in illas, quilibet purioris physiologiae fundator assumit, basin omnium functionum consistere (*h*). Huius conditionis possibilitas (*i*) in structura naturali, principio vitali individualiter accommodato, fundata est. Quamdiu itaque functiones eo tenore perficiuntur, hominem, sua munia obeundi, habilem reddentes, tamdiu sanitate fruimur (*k*).

Omn-

- (*h*) BOERHAAVII Inst. med. §. 695. p. 322. FRID. HOFFMANN in Med. rat. syst. T. I. p. 321. §. X. AB HALLER in Prael. ad Inst. BOERH. T. VI. p. 2.
- (*i*) Dormientes cum non operantur nec tamen aegroti sunt, per agendi potentiam sanitatem esse definendam autem uit GALENVS. vid. T. III. col. 5. Opp. Edit. Bas. 1542. sed quam leue hoc argumentum, qui libet videt. Quis enim ab externis operationibus diiudicabit sanitatem? Ab his, vt sequela ab interioribus, concludimur hominem esse sanum. Ad morbum autem applicationes maxime virosae sunt, sanitatem enim in structura naturali, ideo morbum in praeternaturali consistere deduxit. ibid. Col. 6. Plures tamen eum sunt secuti v. c. MERCATVS T. I. L. 3. p. 1. pag. 604. ed. Francof. 1620. SENNERTVS T. I. L. II. c. 1. pag. 311. Edit. L. B. 1650.
- (*k*) FERNELII Phyf. I. I. p. 80. BOERHAAVII I. c. §. 695. FRID. HOFFMANN I. c. T. II. p. 1. pag. 56. HEISTERI inst. med. pag. 6. ab HALLERI I. c. pag. 7. & II. VNZER I. c. p. 6. ASCLEPIADES fanationem ex regulari manatione corpusculorum, nomine metaphysicos deriuasse historici notant. vid. H. SCHVLZII Hist. med. pag. 273. sed plura de hoc infra.



Omnium facultatum & functionum perfectissima conspiratio, absolutam sanitatis ideam nobis largitur; hinc statum tam solidorum quam fluidorum perfectum sanitas supponit (*m*). Semper itaque corpus, in vita constitutum, suis cum sanitate gauderet functionibus, nisi ex ipsius machinae necessitate, vel ab innumeris a corpore ipso diuersis rebus peruersti quin aboliri possit. Sub certis circumstantiis res hae influxum corpus alterandi habent h. e. causas sanitatis mutare. In continuatione causarum, machinae vitalis lege requisitarum, sanitas consistit, & consequitur, si functiones perueruntur, causas sanitatis l. a rerum externalium influxu, l. corporis in se, mutatas, aut prorsus alienas in culpa esse (*n*).

#### §. IV.

Quid morbus proprius sit, an in functionibus laevis, an in causis, vel demum in tertio praeternaturali consistat, auctores maxime inter se recedunt. Tantae inueniuntur dissentiones, refutationes, logomachiae &c.

vt

(*m*) AB HALLERI l. c. pag. 27. verba sonant "Corpus perfecte sanum est, quando & solidae partes, & liquidae in definita symetria consistunt. TISSOT in libr. sur la Santé des gens des lettr. "Lorsque les vaisfaux n'ont ni trop ni peu de force, lorsque les fluides ont la consistance qui leur convient, qui ne sont ni trop ni peu en mouvements, l'homme est dans l'etat de santé" pag. 63.

(*n*) Respectu curationis distinctionem hanc momento, haud carere quilibet videt.

vt in iis recensendis, tempus mihi concessum, inutilibus tererem. ARGENTERIVS (o) FVCHSIVS (p) MERCATVS (q) A VEGA (r) SENNERTVS (s) DE SORBAIT (t) &c. &c. de his scatent, & patientia vsu-  
ro satisfacient, atque, an sit relatio-habitus - qualitas-  
passio - actio - priuatio - improportio - incommensuratio-  
ametria, -- substantia - accidens - &c. &c. lubens mitto,  
cum omnia haec praedicata nunc ad formam, vel ad  
materiem vel ad morbi subiectum quadrant. Eo enim  
tempore, quo mos inualuit, ARISTOTELIS apophategma-  
ta interpretari, scholis medicis quoque concessi sunt  
auctores, vera via, medicinam locupletandi, derelicta,  
in distinctionum animo & systematibus condendis, eru-  
ditionem quaerentes. Hi, partim scholaisticorum pro-  
ducta in systemata transtulerunt, partim GALENV M,  
satis iam diuisionibus & cauillationibus (u) laborantem,  
interpretari (v), quin refutare conati sunt; Iure inde  
arbitratur, iam ante GALENV M, philosophiae luxuriam,

B prae-

(o) ARGENTERIVS in morb. gen. L. I. c. I.

(p) FVCHSIVS in Instit. L. 3. S. I. c. I.

(q) MERCATVS in lib. 3. p. I. pag. 603.

(r) CHRIST. A VEGA de art. med. I. 3. c. I.

(s) SENNERTI L. II. P. I. c. I.

(t) DE SORBAIT in vniu. medic. p. 42. Nor. 1672.

(u) ZIMMERMANN von der Erfahr. T. I. p. 117.

(a) BAGLIVI lib. Prax. I. c. VIII. de praepost. lib. interpr. p.  
30. dicit, "nonnunquam obscuriores sunt interpretationes,  
re ipsa interpretata"



praeunte PHILINO COO, ex HEROPHILI schola SERAPIONEM induxisse, sectam fundare empiricam, hancque medicinae conseruationi ad finem esse, magni iudicarunt viri (w). Quem fugit dissensus interpretationum, respectu vocis *diathesis* (x) contra & praeter naturam? Cum tamen, ut breuiter dicam diathesis, eam corporum conditionem, mutationum rationem continentem, proprie significat.

### §. V.

(w) CELSVS in Praef. — BVRGGRAFFIVS de fatis med. ad FR. HOFFM. pag. 21. SCHVLTZI Hist. med. §. 467. ZIMMERMANN I. c. B. 1. Kap. 3. p. 51 - 53.

(x) *Διαθεσις*, nobis affectio 1. dispositio dictae, ab ARISTOTELE in Categor. T. I. col. 28. ab habitu distinguitur, ita, ut illa qualitas sit facile dimouenda, hic autem cum difficultate, ut iam quodammodo permanens sit. Sed habitum supponere diathesin, illumque tantum diathesin esse actionem, facile concipitur. Tam de statu sano quam morbo praedicatur. vid. I. GORRAEVIS in Def. med. p. 103. Saepius de morbo usurpari ex GALENO de cur. rat. p. s. M. c. 3. BVRGGRAFIVS in lex. med. p. 332. sub tit. Affectus adduxit, aliaeque adhuc diuisiones ibidem recensentur. Nos autem sensu ampliori, quam ARISTOTELES, diathesin comprehendere FERNELIVS I. c. c. 2. p. 193. iam monuit. Praeter naturam dixerunt affectus nullas laedentes actiones, contra naturam autem, eas laudentes. vid. FERNELIVS ibid. 194. Sed contra hanc distinctionem SENNERTVS insurgit, cum παραφύσις per contra & praeter naturam verti potest. L. II. p. 310.

❖ ❖ ❖ ❖

§. V.

Omnes in eo conueniunt, morbum esse statum sanitati contrarium, sed in huius notione, vel quod idem est, in morbi essentia stabilienda, maeandri incipiunt non Davo sed Oedipo transituri. Tria in statu morbo-so fere omnes sibi fistunt accidentia, nempe, morbum per se, eius causas atque symptomata. Plerique ab vltimis duobus ut separatum quid morbum considerant, alii in causis, aliique in symptomatibus quaesierunt. Haec systemata nunc indicaturus sum, exclusiue eorum, imaginationis turbulentae producta referentium (y).

§. VI.

Prima & copiosissima auctorum classis, qui ratio-cinio morbum eruere studuerunt, Antistite GALENO (\*), morbum, in praeternaturalēm corporis constitutionem actiones laudentem, reposuerunt. Huic sententiae, vti generatim seruiliter Pergameni doctrinae multi adstipulati

B 2

funt,

(y) Si, durante cursu academico, maius mihi reliquum fuisset otium, cum nunc bibliotheca publica caream, ad mentem GAVBII in Epist. ad HALLER. T. IV. haec systemata ad modernam reducere pathologiam, tentatus essem, cum Cel. BALDINGER irritabilitatem ex veterum monumentis eruere viam nobis praeluxit. Iam ante GALEVM sectam extitisse episyntheticam, in qua AGATHINVS vel LEONIDES ALEXANDRINVS laudatur, penes eum relatum legimus. vid. eius Introd. c. 3.

(\*) Opp. T. III. Col. 5-37. & Def. med. p. 248.



sunt, vti MANARDVS (z) GORRAEVS (a), FVCHSIVS (b),  
FERNELIVS (c) EVSTACHIVS RVDIVS (d) DONATVS  
AB ALTO MARI (e) SENNERTVS (f) DE SOR-  
BAIT (g) AMMANNVS (h) BOERHAAVE (i) LVD-  
WIG (k) GAVBIUS (l) &c. &c. Hanc accipere senten-  
tiam horum auctorum sanitatis notio in culpa fuit,  
nempe, eam in structuram naturalem ponentes, ex  
contrario morbum deduxere. A sanitate autem ad mor-  
bum absoluta non valet consequentia, sed tantummodo  
relatiua, respectu motuum sibi sunt opposita, non autem  
in supposito. Vita enim aequa ad morbum ac ad sanita-  
tem pertinet, & vita sine motuum naturālium interrup-  
tione sanitatem, cum interruptione morbum efficit. Te-  
nendum est, principium vitae relatiae ad affectionem age-  
re,

(z) MANARDI Epist. med. L. IV. ep. IV. de medic. compendio  
ad BESVTVM.

(a) GORRAEVS in Def. med. p. 315.

(b) FVCHSII inst. l. 3. c. I.

(c) FERNELIVS in Path. I. I. p. 193.

(d) EVSTACH. RVDIVS Praed. I. 3. c. I.

(e) DONAT. AB ALTO MARI Med. febr. p. I. c. 17.

(f) SENNRTVS I. c.

(g) DE SORBAIT in vniu. med. p. 42.

(h) AMMANNVS Paraen. p. 123.

(i) BOERHAAVII Inst. §. 696.

(k) LVDWIGIVS in Pathol. §. 10. & Diff. de not. morbi §. 3.  
Lipf. 1767. Resp. RIDDER.

(l) GAVBIUS in path. §. 34-42.

re, hinc solummodo ab externis, citra laesam structuram, excitari & opprimi potest; cum autem in actione naturali structuram corporis exposcit naturalem, hac vitiata, morbum per se non efficere, sed generationi tantum fauere, supra de causis elucescit. Metaphysica theorematum machinae applicari vitali magnos induxisse errores veterum systemata testantur, quibus, cum in exponentibus rebus medicis, ignoto adhuc sanguinis circulo (*m*), ad solidorum & fluidorum motus accurate respicere non liceret, tantum conceptibus circa materiae copiam, temperiem, facultatem &c. &c. inhaerentib; & quam saepe hallucinati sunt, libri eorum dogmatici testantur. Cum recte hodierno tempore, satiabilis fidere regnante, ex pathologia reicitur vsu in therapia carens, cui tamen facem praeferre debet, hanc quoque subtilitatem amplecti non possum, cum plane vsu careat. Accurata enim omnium phænomenorum in statu morboso notitia, causarum erendarum gratia, ut his quid sit agendum i. e. verae indicationes superstrui possint, solidam constituunt therapiam (*n*), & nil praeter phaenomena morbosa, & eorum causas in aegro agnosci possum.

## B 3

## §. VII.

(*m*) BOERHAAVII sententia de FERNELIO in omnes veteres quadrat, inquiens, caruit adhuc lumine haruaeano, hinc adhuc cespitat plurimis in locis non in observationibus, sed in harum reductione ad aliquod systema. v. METH. disc. art. med. p. 440.

(*n*) Ex §. 569. T. II. in VAN SWIETEN Comm. facile id eruitur.



### §. VII.

In terminis generalibus hi auctores quidem conueniunt, in applicatione autem ad corporis partes iterum variant. Sic GALENISTAE in calidi innati & quaternionis humorum intemperiem, MASSARIAS in solida fluida & inclusiue spirituum, SENNERTVS in solida viua constitutionem praeter naturalem reposuerunt, respectiue semper ad cuiuslibet hypothesin. Ex his patet GALENISTAS & ex parte MASSARIAM tacite causas pro morbo agnouisse, ex instituto autem ARGENTERIUS (*o*), causam continentem & morbum esse synonima, acriter contendit, sicque effectus cum causa confunditur.

### §. VIII.

Ad auctores sensuales, morbum per motus naturae inordinatos delineantes, nunc transeam. Ex his praecipui sunt FR. HOFFMANNVS (*p*) FR. SAUVAGES (*q*) P. G. WERLHOFIVS (*r*) HALLERVS (*s*) I. G. ZIMMERMANN (*t*) NICOLAI (*u*) NIETSKI (*v*)

HO-

- (*o*) ARGENTERIUS de morb. gen. L. I. c. I.
- (*p*) HOFFMANNI Opp. T. II. p. I. p. 56. Vol. I.
- (*q*) SAVVAGES in path. meth. p. 12.
- (*r*) WERLHOFII Opp. in Diff. de Secta method. p. 28. Helmst. 1723.
- (*s*) AB HALLER in Prael. in inst. med. BOERH. vol. VI. p. 261.
- (*t*) ZIMMERMANN von der Erfahr. B. 3. K. 4. p. 244 - 45.
- (*u*) NICOLAI in Pathol. T. I. S. I. §. 5.
- (*v*) NIETSKY in Elem. path. §. 2.

HOMÉ (w) SELLE (x) &c. &c. Hi non ratiocinio sed sensibus morbum subiiciunt. Philosophia pathologica mere causalis esse debet, & cognitionem hanc semper subsequi debere historicam, omnes norunt, cum necessarium sit, prius ponere rei notionem, antequam de causis ratiocinari possimus. Omnia enim corporum materialium phaenomena, effectus sunt suam causam determinatam agnoscentes, praeterque causam effectumque nullum datur medium. Hi sensus incurunt externos, atque rei notionem ponunt (z), internos autem incitant, eorum disquirendi originem, vti omni ab aevo sese cruciarunt, in causarum perquisitione, philosophi (a). Corpus viuere edocent nos phaenomena, & rationem latere in principio vitali actiuo & affecto, omnes purioris mechanismi physiologi consentiant. Totius vniuersi perpetua lex est, res permanere vel in statu quietis vel motus, quam diu a causis ab illo non dimouentur, sed pro huius ratione stat summi Arbitri voluntas. Sanitate igitur corpus viuum

(w) HOME in Princip. med. P. II. S. I. p. 12.

(x) SELLE in pyret. introd. p. 23.

(z) SAVVAGES Path. meth. p. 12. dicit, "Aegritudo est, quantum ea in sensus incurrit, quod enim dignosci non potest, apud physicos nil est."

(a) L. A. SENECA in natur. quaest. I. VI. c. V. magni, dicit, animi res est, rerum naturae latebras dimouere, nec exteriore eius conspectu contentum, intropicere, & in Dei secreta descendere.



viuum semper frueretur, nisi varia interceptione (§. 3.) illi allata, alios nunc concipere motus, alia praesente causa, cogeretur, hique motus sensibiliter a sanitate aberrantes cum eorum sequelis (*b*) medicis symptomata salutantur. Actiones igitur immediate a causa morbosa laeduntur, morbumque constituunt, ut per sensibiles actionum corporis viui alienationes recte morbus definiatur, itaque in coniunctione symptomatum simul coexistentium, vel subsequentium morbus consistit. Haec cognitio historicam morbi partem efficit, philosophica autem per causarum scrutinium perpetratur.

### §. IX.

Quae sit morbi essentia vel natura, philosophus interrogabit? Edoctus, quodlibet ens sua gaudere essentia, hancque consistere in modo compositionis materiae.

(*b*) ZIMMERMANN in l. c. B. 3. Kap. 4. p. 245. inquit: Jeder wesentliche Zufall ist ein Theil der Krankheit, alle Zufaelle in ihrer Verbindung machen die Krankheit aus — Auctorum §. VI. inconstantia obscuritatem definitionis quoque denotat. GAVBIUS l. c. §. 42. in affectionem vitae morbum ponit, & affectio GALENO actionum interturbatio dicitur, LYDWIG quoque in path. §. 200., dicit, morbus quoque & symptoma primarium vnam quasi rem indicare videntur. Suo iam tempore GALENVS quoque inquit, qui vero supponunt, operationum laesiones appellari morbos, neque a primo discedunt instituto, licet aliud quoddam sit quod minime illi aduertunt, in nominibus tantummodo decipi, res vero ipsas recte assequi sunt existimandi. vid. de Diff. morb. Col. 10. & de Differ. sympt. col. 39.

teriei. Ex entis essentia fluunt phaenomena, & actiones laesae corporis viui fluunt ex causa morbosa, hinc patet, morbi naturam latere in eius causis. Animo attento naturae vestigia perlustratus, semper magnam simplicitatem tam varia producendi phaenomena, intuitu valde differentia, sola differentia temporis, loci, combinationis &c. &c. semper in illa deprehendet. Differentiale morborum sistema, quoad essentiae eorum differentiam, omnium arctissimum est, & nobis in therapia utilissimum compendium, illud autem, ob species morborum individuales, ex phaenomenis vel symptomatibus condendum, amplissimum; formatio enim morborum cum eadem causa essentiali, inferius materialis dicenda, pro aetatis, sexus, idiosyncrasiae, loci &c. &c. symptomata maxime inter se differentia in scenam prodire iubet.

## SECTIO II. DE SYMPTOMATIBVS.

### §. X.

Cognitionis scalam securus sum, patentia, iis per haec demum inueniendis, praemittens. Patet ex praec., corpore viuo a causis alienis affecto, actiones vt effectus sequi inordinatas, morbum constituentes (c),

C hae-

- (c) Fpienemeta quoque symptomata vocantur. GALENV in Meth. med. I. c. 9. Symbebecta, accidentia sanitatem sequentia, nuncupat, cum symptomata a quibusdam de sanitate quoque praedicata sunt.



haeque ab auctoribus graecis dicuntur συμπτωματα,  
 & vi vocis, latinis accidentia. Duo autem genera  
 phaenomenorum in aegroto sese adhuc offerunt, vnum  
 in qualitatibus sensibilibus, alterum in foras prodeun-  
 tibus consistit, & aequae ad symptomatum diuisionem  
 referuntur. Lege Creatoris corpori largitum est, gra-  
 ta ingrataque sentire, illis laete frui, de harum au-  
 tem ablatione auxilium quaerere. Sensibus patent  
 symptomata, atque primum maximeque necessarium  
 medico imponunt officium ea singulatim perlustrandи,  
 stellam illi polarem sistendo, ratiocinio ad abdita deue-  
 nire (\*), nempe qualem coniunctim (e) constituant  
 morbum, & quid in eo sit agendum (f): Nam quam-  
 diu casto ratiocinio, nullis inquinato hypothesisibus, ab  
 externis, legitima deductione, ad interna concluditur,  
 euentu felici haud carebit medicus (g). Quid diuini  
**HIPPOCRATES**, graecique eum secuti, habent, in tra-  
 dendis signis praincipue id sibi vindicasse, notum est,  
 nam

(\*) ZIMMERMANN von der Erfahr. p. 244.

(e) ARISTOTELES in libr. Physic. I. c. 4. Col. 418. Nondum,  
 inquit, compositum scire putamus, cum, ex quibus &  
 quot ipsum constat, haud cognoscimus.

(f) BAGLIVII Lib. Pr. II. c. VIII. p. 196. prima basis, inquit,  
 curandorum morborum est recta eorundem cognitio, at-  
 que debitum vnius ab alio discrimen, & c. X. q. 218.  
 "Fundamenta praxeos sunt indicationes, a repetita mor-  
 borum historia depromptae."

(g) ZIMMERMANN l. c. pag. 236.

nam omnem nauarunt operam, ea sedulo colligere, morbos dignoscere futuros. HIPPOCRATES anglus, SYDENHAM VMO volo, probe sibi persuasit, recta perspecta morbi historia, solum ex symptomatibus confienda, par malo remedium nunquam non afferre posse (h). Quem dignitas latet, quae CAELIO AVRELIANO, sectae methodicae interpreti principi, ob descriptionis signorum perspicaciam tribuitur? Arti sanitari originem progressumque dederunt, quin ad statum perfectionis prius per haec euehi debet. Eo tempore, quo de morborum causis nil adhuc fuit rationatum, solummodo analogismo & inductione his remedia attulere (i) & obseruatione symptomatum seposita, status medicinae fuit in calamitatibus (k). In medicina stabilienda locupletandaque ut sagaces & veri inuentores sese praestiterunt graeci, vsque GALENI tempora. Paulo post autem, cum barbarorum impetu labefactari cooperit imperium romanum, Marti tunc quam Mineruae fauentius, seculo currente sexto actum de re litteraria fuit, & seculo nono Arabum manus incidit medicina. Quid boni suo disputandi commentandique ingenio attulerunt ex FVCHSIO & FERNE-

C 2

LIO

(h) SYDENHAM in Opp. Praef. p. 9.

(i) DIODORVS SICVLVS L. II. rer. antiqu. c. 5. & FR. BOERNERI Diff. de antiqu. medic. aegypt. Wittenb. 1756.

(k) BAGLIVII pr. med. I. II. p. 119. FERNELIVS in Path. I. c. VII. Tanta inquit, signorum necessitas est, ut, his sublati, medicinae fundamenta corruant.



LIO aliisque (\*) cernere licet. Ad latios autem reuersa, seculo currente quindecimo H. MERCVRIALIS, L. DVRETVS paulo post I. HOLLERIVS, G. BALLO-NIVS &c. &c. graecam restituere medicinam, indeleibile fibi exigerunt monumentum. Verus igitur medicinae aditus in symptomatum obseruatione consistit, indeque eorum necessitas patet. Cum autem dignitatem, successionemque habent, haec speciatim nunc attingam.

#### §. XI.

Animo disputatorio in scholas semel introducto, vbiuis ille scaturit. Quid symptoma sit? An morbus citra symptoma existere possit? An de sanitate praedicare liceat? &c. litis materiem dederunt. De C. H. physica autem perperam edocti, non mirandum, veteres in pathologicis saepe fuisse hallucinatos (1). Hodie tempore, legibus naturae melius perspectis, non ita magna subest difficultas, effectum a causa discernere. Puriori physiologia imbutus, qualemcumque, sibi vel aegro tantum sensibilem in organismi mutationibus recessum, vt effectum a sua causa determinata

(\*) FRIEND History of Physick p. 48. & BARCKHUSSEN in Diff. de med. orig. & progr. Diff. XVII.

(1) GALENVS I. c. de sympt. diff. col. 35. quicquid animali praeter naturam accedit, symptoma vocavit. Sed quia nimis definitio definito suo latior sit Arabes symptoma dixerunt, quod morbum, vt umbra corpus sequatur. vid. AVICENNA I. I. Fen. 2. doctr. 3. c. I.

ta manantem considerat, & symptoma vocat; hinc exquisitae symptomatologiae facem praefert purior physiologia. Ex hac ita notescit, con spirationem, non sat satis admirandam atque obseruandam, in corpore vitali existere (*m*), quae concatenationis, in symptomatum caterua, causa est. Corporis enim actiones sagaciter perscrutans, vnam actionem alteram ut effectum sequi, vel simul ab uno fonte existere, deprehendit, vna igitur laesa altera ut laedatur facile concipitur, quin morbi orientenus ab unius actionis laesione saepe oriri, probabile mihi videtur. Natura, quamdiu nunc tali potentia & ordine gaudebit, tamdiu, eadem praesente causa, iudicem sequentur effectus, ex illa immediate fluentes. Hi vnicce actiones respiciunt laesas & indissolubili nexu, sub omni conditione morbum semper specificant, & ideo ab auctoribus symptomata primaria, essentialia, propria, immediata, & quia morbi speciem produnt pathognomonica salutantur. Difficultate autem premissur, ea stabilire, complicationes enim tam multifariae, obseruationes fugitiuae &c. &c. nodum componunt gordium. Vti effectus semper testes suae causae sunt, sic haec symptomata vera sunt, morbi eruere causam. Si itaque causarum notitia medicum nobilitat, certe horum symptomatum perspectio

C 3

ctio

(*m*) HIPPOCRATES in lib. de orig. part. iam dixit, in humano corpore confluxus est unus, conspiratio una & omnia consentientia. — Haec vniuersalis sympathia nunc temporis valde iterum agitatur.



ctio praemittenda est. **BAGLIVIUS** inquit "vtinam, hanc signorum prouinciam quoquis seculo nonnulli ex medicis locupletare tentassent certe medendi ars a multis iam retro seculis peruenisset ad statum, saltem quantum patitur mortalium conditio".

### §. XII.

Omnia symptomata, causam immediate pro ratione habentia, essentialia l. symptomata causae vocantur §. XI. Nexus (*n*) autem corporis efficit, more philosophorum loquendi, vti effectus praecedentis iterum causa subsequentis fit, vt idem in microcosmo contingat. Actiones a causa laesae, actualiter alias rursus peruerunt, secunda serie a causa distantes & sic porro. Ne autem in immensum quasi ruamur, limites ponendi sunt, cum, causa primitiva semel ablata, tota euanescit propagatio. C. H. physici, machinam viuentem, Creatoris testem, non ex compendiis, sed eius operationes intuentes, conspirationem, assistentiam, rela-

(*n*) Antiquitatis scholae triplicem docuerunt symptomatum differentiam, 1) Functiones laesae 2) se- & excretiones perturbatae 3) qualitates sensibiles alienatae vid. **GALENVS** de sympt. diff. Col. 39. **FERNELIUS** l. c. de sympt. gen. c. 3. p. 222. Neoterici autem per symptomata morbi symptomata causae & symptomata symptomatum illam comprehendere maluerunt, videmus id iam differte in **FERNELIO** l. c. p. 220. **BOERHAAVIO** l. c. §. 801. Nostra autem ratione, morbi & causae symptomata synonima sunt ac elogia prioribus facta a **GAVBIO**, de posterioribus propriis valent. §. 92. l. c.

❖ ❖ ❖

relationem, ordinem &c. &c. in illa deprehendunt, ac hinc per totum corpus affectio concipitur. Symptoma igitur ex illis causae ruentia, symptomatum symptomata vocarunt pathologi, qualem autem quodcumque horum in serie teneat ordinem, medico inquirere non necessarium est, modo conuictus, omnia ex primi generis symptomatis ortum traxisse. Adhuc tenendum est, huius generis symptomata, praesertim secundae seriei, tam arte saepius a prioribus dependere ut essentialiter morbo cohaereant, quin cum primariis confunduntur. Haec, quam ponderosa, morbum specialiter dignoscendi, ducuntur (§. XI.) tam magna, symptomatum symptomata, in morborum observatione gaudent dignitate. Speciali egeret dilucidatione, pro grauitate exponendi, haec, differentiae morborum individualis, causas esse, rationemque continere, vnum eundemque morbum in diuersis corporibus diuersa ludere symptomata. Primaria semper adsunt, sed pro aetatis, sexus, climatis, temperamenti, corporis dispositionis, vitae generis, anni temporis &c. &c. differentia, haec symptomata nunc augentur nunc minuuntur. Ne medicus igitur decipiatur & pro symptomate alieno vel deficiente, morbum falso agnoscat, eorum pondus arguere licet. Sine industri horum collectione, nulla absoluta surgere potest morbi historia (o), morborum enim indoles, quin plures diffe-

(o) SYDENHAMVS in Praef. p. 8. morborum, inquit, phaenomena



differentiae accidentales, vti iudicationes, gradus, status &c. ab his praecipue desumuntur.

### §. XIII.

Medicinae patres, symptomata in morbis videntes, certo tempore exsurgentia, mutatione in aegro consequente, magni harum obseruationem omni iure fecerunt, & epigenomena, vel superuenientia nuncupauere. Haec sunt, cum practicis loquendi, symptomata naturae actiua (p) auxiliaria vel naturae molimina (q), in scholis, quasi morborum mysteria, nobis narrata. Longe diuersam a prioribus his attribuunt

mena clara ac naturalia, quantumuis minuta, per se accuratissime adnotentur. BAGLIVVS fusiis de obseruationum necessitate egit vid. eius Prax. med. L. II. c. 8. & GAVBIVS in Pathol. §. 96.

(p) A symptomatibus ea GALENVS de differ. sympt. cap. vlt. iam distinxit, inquiens "Vnde si naturalem excretionem l. quantitatem l. qualitatem substantiae pro scopo sibi quis proponit, deinde huc intuens symptomata iudicet, subinde falletur &c. — quanuis enim aliqua toto genere praeter naturam sint, veluti haemorrhagia narium, tam p. n. non sunt, si modo tempestive fiant. Fiunt autem tempestive, cum id quod molestum est, expellitur." Huc quoque symptomatum distinctio in symptomata actiua & passiva pertinet. —

(q) STAHL in prop. de synergia nat. H. M. 1695. GAVBIVS l. c. §. 100 - 101. sed apprime SYDENHAMVS praef. p. 7. inquit, si symptomata ad hypothesis quadrant, ea plane reddunt ἐμπνειος ελεφαντα.

buunt originem, & in naturae energia, vel cum STAHLIANIS in anima, salutem suam propugnantes, ea quaerunt (r): forsan, maiorem illis conciliare auctoritatem, cum per motus morbosos, obiter consideratos, nil nisi malum coqui videatur (s). Suis autem viribus instructa machina vitalis, lege vitali mechanica a CREATORE lata, sanitatem assimilatione, se- & excretionibus &c. conseruat, per causam praeternaturalem hae quidem perueruntur, minime autem virtute sua plenarie defraudantur, hinc salutari saepius gaudere effectu facile concipitur. Omnia ex corporis conspiratione adsunt, neutquam ex fine determinato, ac ad symptomata §. XII. pertinent. Eorum autem dignitas manet in saluo, multumque in curatione & prognosi valent (t).

## D

## §. XIV.

- (r) GAVBIUS l. c. §. 37. id his verbis indicat "Vitae mentio facta est, vt constet dari principium in aegris a morbo ipso distinctum" §. autem 640. hoc refutat.
- (s) Morborum crises hoc p<sup>r</sup>aeprimis spectant, sed potius morbum vi<sup>c</sup>tum indicant, quam quod natura per has eum vindicare tentaret, ac id quod criticum saepe dicitur, solum signum spasmī remittentis est.
- (t) SYDENHAMVS Sect. IV. c. III. p. 110. inquit "neque est, cur hos naturae lulos tantopere demiremur, cum in confessio apud omnes sit, quod, quo profundius, in quaecunque naturae opera penetremus, eo luculentius nobis a<sup>f</sup>fulgeat ingens illa varietas & diuinum pene artificium operationum eius, quae captum nostrum longissime superant."



## §. XIV.

In symptomatum dignotione cautio adhuc restat, cum in aegro talia saepe prorumpunt, cum morbo primario nulla gaudentia connexione. Aeger, inter res semper versatur, potentia alterandi praedita, quae voluntati nunc subiacent, nunc totam resistantiam haud patiuntur, quibus peruersa morborum methodus (*u*) & vitia in corpore ante morbum clandestine latentia, accedunt. His, symptomata, a morbo primario plane aliena, neque eo cohaerentia, in aegris debentur, & fortuita salutari merita sunt. Horum obseruatio & separatio expertum testantur medicum, maximeque momentanea sunt, cum morbi auctio vel diminutio, sanitas vel mors, quin mutatio in alium his saepe adscribi debet, medici operam nunc adiuuando, nunc peruerendo, quin alias indicationes necessitando, multumque ideo in prognosi valent. Quid in morbis praesertim epidemicis valeat atmosphaerae mutatio, in omnibus autem morbis diaetae vitia ac animi pathemata, quis non nouit (*v*)? Tam in perfectione quam in morborum historiae descriptione omne merentur

men-

rant." Eleganter & solide id probatur & theoria STAH-LIANA refutatur in Diss. R. A BEHRENS de consid. anim. ration. med. sub praef. SCHACHERI c. 3. §. 5. & WEDELII de vi natur. hum. medica §. 16.

(*u*) Idem in Praef. p. 8.

(*v*) I. BOHNIVS de offic. med. dupl. c. XX. de moder. diaeta p. 365. & c. X. de indicat. p. 231 - 232.

mentis acumen, eaque rite dignoscendi, accuratissimam supponit morbi primarii notitiam. Par confusio respectu metamorphosis symptomatum in verum morbum deprehenditur. Pleraque & primaria symptomata iam in actione laesa consistunt, & sublata causa ad statum naturalem vt plurimum reuertunt, sed, quandoque contingit, symptoma quoddam cum morbo haud disparere. Ratio est, si actionis organon, per causae vel alias symptomatis vehementiam laeditur, vt symptoma non amplius in motu, a causa morbi, laeso, sed in organo ipso fundatum sit. Perseuerationem sibi debet, & morbus, secundarius propriè dictus nuncupatur, neque symptomatibus amplius accensendum (*w*). Huc omnes morborum successiones spectant, de quibus BAGLIVI in proprio egit capite (*x*),

### SECTIO III.

#### DE CAVSIS.

##### §. XV.

Prima philosophiae rudimenta in eo sunt, vt sensui naturali praemonstrent, quamlibet apparitionem suam agnoscere causam. Quid mirum, philosophos

D 2 ideo

(*w*) FERNELIVS in path. I. H. de sympt. c. I. p. 220. dicit, si morbus unus alium de se proxime, vt iecoris feroventriculo calidam imprimet intemperiem, non symptoma sed morbus consequens est.

(*x*) BAGLIVI de morb. success. p. 367.



ideo causarum indagationi acerrime semper incubuisse, cum nullius rei queat haberi cognitio, ignorata eius origine (z). Huius asserti veritas, vim suam plenarie in medicos confert, ac si cuidam interest, effectum causas eruere, medicum certe respicit; secta rationali dictitante, morbos curare, causas eorum est tollere (a). Cum autem natura ita concatenata existit, vt vnum stet pro effectu praecedentis & pro causa consequentis, limites ponendi sunt, ac medici id realiter causam morbificam dicunt, quod ad morbi generationem symbolum confert, sicque partem rationis morbi continet (b). Litigationibus, quin nouarum sectarum ordini plenum semper praebuit vber aetiologya, tam in generali, praesertim autem in speciali explicatione, difficilem causarum indagationem esse probans, & vti PETRONIVS ait DEMOCRITO, „aetatem inter experimenta consumsere, nec vltierius „tamen progressi sunt, quam vt morborum causas, „quasi in remoto veritatis confinio constitutas, ac ve- „lut in crepusculo translucentes, per tenebras con- „spexerint“.

#### §. XVI.

- (z) ARISTOTELES in l. 2. de natur. auscult. c. 3. col. 432. CELSVS in Praef. p. 13. dicit, "cuius autem rei non est certa notitia, eius opinio certum reperire remedium non potest."
- (a) CELSVS in praef. p. 4. VIRGILIVS GEORGIC. l. II. v. 490. cecinit: Felix qui potuit rerum cognoscere causas &c.
- (b) NIETZKI Elem. path. p. 24. §. 98.

## §. XVI.

Experientia loquitur, malo praesente, & in politicis & in medicis saepius nobis esse cordi, eius sublationem prius tentare, quam eius originem perquirere (c). Perceptio sensualis enim, memoria & identidem recurrentium factorum obseruatio, historiam cuiuscunq; scientiae partem efficiunt, iudicium tunc in euentuum causas fertur, experimentando penetrat, siveque rationalis euoluitur nexus, hinc neque vni genti, neque vni seculo rationalis medicinae statutus tribui potest. Temporibus Aegyptiorum, Malabarorum, Sinensium, medicina adhuc germinante, & per sacerdotes, pinguibus reditibus fruentes, adhuc administrata, certe prima de morbo ratiocinatio cum CELSO (d) ad philosophos primaeuos referenda est. Res est nota, ante Diuum HIPPOCRATEM medicinam philosophia fuisse iunctam, & EPIMENIDES cretensis, THALES milefius, PYTHAGORAS samius (e) eius

D 3

disci-

(c) CELSVS l. c. p. 9. inquit: " nec post rationem medicinam esse inuentam, sed post inuentam medicinam rationem esse quaeſitam."

(d) CELSVS in Praef. p. 2. — Illis temporibus sanitas diis, morbus autem daemonibus adſcribebantur, id quod ex faſerdotum fraude, & coeco religionis cultu inter plebeios facile concipitur. vid. CONRINGII med. herm. L. I. c. 8. & OL. BORRICHII lib. de ortu & progressu chemiae p. 57 - 63. seq. qui de med. aegypt. dignitate litigarunt.

(e) Ut verus tubae EVSTACHII inuentor ab Historicis perhibetur.



discipulus ALMAEON crotonienis (f) EMPEDOCLES agrigentinus, DEMOCRITVS &c. &c. in historicis ideo noti sunt. COVS autem noster forsan inutilibus eorum argutiis inductus, medicinam sui iuris fecit. Naturae phaenomena explicare, ipsam nos oportet natu-ram experimentando interrogare, obseruationibusque repetitis ediscere, minime autem vanis speculationibus hypotheticis eam violare, hinc statim, medicina vix surrecta, praeente PHILINO coo (\*), a SERA-PIONE seca empirica dicta fuit stabilita. Hi omnem nauarunt operam, causarum abditarum indagationem, & actionum naturalium notitiam, vt irrecomprehensi-ble quid, e medicinae studio reiicere, ac solummodo causas, quae dicuntur euidentes, amplexi sunt. Pathologiam autem pragmaticice pertractanti, horum ne-cessitas, morborum rationem reddendi gratia, haud ef-fugiet; cum purior physiologia & realis causarum in-dagatio solidam constituant pathologiam, (g) & ab-ditae

(f) Teste CLEMENTE ALEXANDRINO primum de natura elabo-ravit librum, & EMPEDOCLIS theoria, de aure & auditu, similis nostrae, excepta COTVNNIANA, est. —

(\*) vid. GALENI introd. c. 3. vbi occasionem ab HEROPHILO suo praceptorre accepisse testatur. Empirici, vnicum di-gnoscendi in medicina principium experientiam esse, sta-tuerunt, ideoque avtopstan, historiam & epilogismum 1. transitum ad simile, illam acquirendi gratia praescripe-runt.

(g) CELSVS iam suo tempore inquit in Praef. p. 13. "naturae con-

ditae eorum cause, tam in curatione, praesertim autem in morbi recursione attentionem exposcunt. Philosophia causalis, vel philosophica morbi cognitio in medicina primarium est, non autem quid in causa sit actuum, sed quae sit causa, si aliter cum MOLIERO respondere nolumus (i).

### §. XVII.

Eruditionem in rerum copia quaerentes, causarum acerum sibi finxerunt, ac FVCHSII, FERNELII, praecipue autem ARGENTERII, libri, de hac re, satis testantur. Id statim innotuit, unicam causam morbum producendi insufficientem esse, videntes, pluribus idem accidere posse, nec eodem morbo corrupti, hinc ad abditum quid praedisponens rite concluserunt (k). Lege deductionis nunc sequitur quamlibet harum mediate agere, & immediatam ex his componi. Hanc simplicitatem non omnes amplexere, ut Oedipum non Dauum esse oporteat, in totum diuisiones & varietates combinare (l). Optimam & maxime

contemplationem, quamvis non facit medicum, aptiorem tamen reddere medicinae profectum."

(i) HORATIVS L. I. Epist. I. v. 32. "est quodam prodire tenus, si non datur ultra &c."

(k) CELSVS l. c. p. 16.

(l) CALENVS etsi alias distinctionibus se pabulatur, huc tamen fere nobis congruit, causam nempe evidenter, antecedentem,



xime generalem distinctionem in *causas remotas & proximam* esse censeo. *Remotae* veterum sunt efficienes (*m*) & mediate agunt, dum singulæ actiones C. H. peruertere insufficientes sunt, coniunctim tantummodo morbum euoluere possunt. *Causarum coniunctarum* autem vis *proxima* (*n*) audit, & immediate morbum producit, in concreto tamen causa nulla est. *Remotae* (*o*) respectu corporis ab auctoribus recte iterum in occasio[n]ales & praedisponentes diuiduntur (*p*). De his nunc singulatim.

### §. XVIII.

tem, continentem & concusam sibi sistendo, quae posterior autem ad priores pertinet. vid. de caus. proc. c. I. & summatim Def. med. Def. 154. CELSVS in praef. p. 20. solummodo euidentes amplecti videtur, et si per cognitio[n]em aegri naturae aperte praedisponentes intelligit.

- (*m*) AVICENNA l. I. Fen. 2. doctr. 2. c. I.
- (*n*) Eum sensum non omnes amplectuntur pathologi, sed proximam, vt ultimam in serie causarum, considerant, momentum morbo addens. vid. SENNERTVS l. c. L. II. P. II. c. I. p. 341.
- (*o*) Cum remotarum distinctione conuenit, ea in causas externas & internas, quarum autem applicatio maxime vaga deprehenditur. IVNCKERVS in consp. path. p. 48. & HOME l. c. P. II. S. II. remotas ad occasio[n]ales solum referunt. SENNERTVS l. c. p. 341. remotas, vt insufficientes causas considerat, nisi propior quedam accedit, proxima illa dicta.
- (*p*) vid. BAGLIVI de caus. proc. & proeg. p. 204. LVDWIGIVS in Pathol. P. II. c. I. §. 99.

## §. XVIII.

Innumera sunt, nos laedere potentia, omniaque nobis tam necessaria, vitam periclitari possunt. Nos certae res ambient, alias ingerimus, alias ipsi patramus, ac omnes indebito tempore modoque sanitatis hostes saepe euadunt, nisi admirabilis ex corporis mechanismo fluens πετασμὸς contra iniurias nos tueatur. Difficile aliter fit conceptu, catalogum causarum laudentium audituro, corpora pleraque dare sana, quin ad senectutem immunia. Hae res veteribus sex res non naturales dictae sunt, a neotericis autem locupletatae (q). Corpori occasiones sunt, ut laedi possit, ideoque causae occasionales proprie dicuntur. Προκατάγματα, πρόφαση, (r) evidentes Empiricorum, manifestae, externae, aduentitiae, praincipientes, GAVBII potentiales, concausa GALENI, synonima sunt. Credentibus autem a fraude cauendum est, nil subesse doli, in harum causarum actionis erga corpus explicatione. Id verum, dare tales, mechanice explicare faciles, sed dantur quoque, quarum cognitio physicalis, relatio earum erga nos, & corporis erga illas explicaturo graues ponunt obices, cum ipsis C. H. actionum modos, quibus perficiuntur & quae ad illos requiruntur, haud omnes perspectos habemus. Ut instrumenta generaliter considerari debent, nunc lente nunc su-

E bito

(q) De his vid. ZIMMERMANN von der Erfahr. &c. per totum libr. 2.

(r) GALENS de febr. l. I. c. VI.



bito corpus alterantia. Dupli modo agunt, vel reapse corpus aliena materie onerando, vel frequentius corpus ita afficiendo, ut in propriam noxam agere cogatur. Solida aequa ac fluida afficiunt, & his alterationem inducendo, viam sibi pandunt, recursione morbum euoluere. Vis vitalis, potestatis gradu limitata, & superare possibilis, sola quoque accedente causa occasionali in morbum erumpere potest, & per dispositionem naturalem id fieri nemo negabit. In morborum cognitione magni momenti sunt, proximam latentem, solummodo ratiocinii opus, eruendo, atque Empirici, omnibus aliis rejectis, in his acquieuere <sup>s).</sup> Quam male igitur, proximam statim inquirere, agant medici, relicta causarum occasionalium perquisitione, concinne tradidit BAGLIVI <sup>(t)</sup>, felicem morborum cognitionem & curationem, fere solum in harum notitiam reponens.

### §. XIX.

Materiei individualis cohaesionem, in variata elementorum proportione ac mixtione consistentem, corporum differentiam specialem efficere ratio evincit. Potentiae vitalis quoque actionem in corpore animali, cum materiei cohaesione in relatione deprehendi, experientia edocti loquimur. Deducimus ergo, cohaesione non numeranda cogitata, quodlibet corpus peculiari gaudere proportione, siveque individualiter homines inter

<sup>(s)</sup> CELSVS in Praef. p. 8.

<sup>(t)</sup> BAGLIVI de caus. proc. §. V. p. 206.

inter se differre. Temperamentorum absolutam doctrinam abhinc cadere, a pluribus fuit ostensum (*u*). Florente adhuc Humoristarum secta, nil dubii subesse fere creditum fuit, totum corporis statum, quin curationes ab humoribus deducere (*v*) ac cuilibet temperamento suum proprium assignarunt humorem (*w*), sed in irritabilitatis differentia temperamenta fundata esse, immortalis AB HALLER ostendit, & ante eum iam alii sola nominis differentia (*x*). Hodie nunc tempore recte igitur statuitur, fluidorum elaborationem solidis debere, & solida in statu sano semper ad suas vires fluida sibi appropriare, magno erga transfusionem argumento. In statu sano dixi, nam per fluida, naturali crassi alterata, solida quoque pati, nemus negat. Solida haec fluidaque vel per causas §. 18. vel iam a conceptione tali individuali modificatione inter se laborare possunt, vt sanitatis duratio cum hac confistere nequit, sed noua, ex causis §. 18. accedente occasione, in morbum demum erumpere pos-

E 2    funt.

(*u*) I. H. SCHVLZE in Phys. p. 154. AB HALLER in prim. lin. phys. §. CLI. inquit, sed caendum est, ne nimis haec temperamenta ad Systematis modum definiantur, quae in natura non 4. aut 8. sed infinitis gradibus distincta sunt.

(*v*) FERNELIVS. in phys. L. VI. c. 8.

(*w*) AB HALLER in Element. phys. T. II. L. V. p. 145.

(*x*) V. STAHLIVS in Diff. de temperamentis c. III. H. M. 1697. ea, in solida & fluida eclectice relegat. FR. HOFFMANNVS I. c. L. I. S. I. c. VI. §. 30. ex solidis ea re-petiit.



sunt. Hae veterum diatheses, veri sanitatis insidiatores sunt, & vi per se actua carente, a causis occasionalibus eam expectant (\*). Ex his videre licet, ante morbum in corpore latere, & ideo causae praedisponentes, Graecis προηγμέναις, aliis antecedentes, internae, & allegorice a GAVBIO (z) seminia dicuntur (a). Huc quoque scholae dogmaticae veteris causae abditae spectant (b). Hae causae morbi speciei rationem continent, formales veterum efficiunt & duplicitis generis sunt, naturales (c) ac morbosae. Operosum saepe medico imponunt opus, eas rite dignoscendi, quin

inter-

(\*) Id iam a GALENO notatur, inquiens, antecedens ab evidente adiuuatur. vid. Def. med. Def. 156.

(z) GAVBIVS in pathol. §. 75. & §. 606.

(a) Tempore POMPEII & CAESARIS Romae ASCLEPIADES bithynus floruit, philosophiae corpusculari Democriteo-Epicureae addictus, qui THEMISONI Laodiceo occasionem largitus est, sectam fundare methodicam, a famoso THESSALO TRALLIANO demum abbreviata. vid. CLERC Hist. de la Med. p. 381-408. vbi eorum in morbis chronicis ratio medendi per cyclum resumptium & metasyncriticum amplius enarratur. Huius sectae communitates in morbo generales, de stricto & laxo huc applicari possunt. vide SCHVLZII Hist. med. §. 530 & WERLHOFII Diff. de secta methodica in Opp. p. 4. Veterum affectus simplices, morbi vel vitia simplicissima vel similaria huc quoque referri possunt.

(b) CELSVS in Praef. p. 4.

(c) Cum sanitas latam admittit differentiam in hac ipsa dispositio ad morbos praeualens latet. Corpus quoque vitale tales



interdum nos latent, sed necessarium & operaे pretium est, illarum notioni incumbere. Caussae §. 18, morbi symptomata singulatim considerata, status corporis antecedens, vitae genus & hominum officia antea acta &c. facem nobis preferunt. Morborum enim chronicorum & periodicorum prognosin sine harum notione, nulla fide saepe stabilendam esse, duco, neminem fugit, morbos plures adhuc occurtere, quorum causa immediata nos latet, ad hypothesin explicare si non velimus, sed, causa praedisponte nobis demum perspecta, persuasum habeo, facilius causam immediatam tunc eruere nobis licere. Quid igitur valeant, & quid vltior earum disquisitio pollicetur, ex his nunc elucescit.

#### §. XX.

Vltimus medicorum finis, causas occasioнаles & praedispentes inquirere, eo respicit, immediatam morbi causam detegendi, & haec ab autoribus vplurimum proxima vocatur, alias quoque continens (*d*) coniuncta (*e*) primoprima (*f*) & saepe perperam materialis (*g*). De eius autem notione non ver-

E 3 bis

tales necessitat affectiones, quae cuiilibet causae occisionali resistere neſciant, hinc actas, ſexus, idiosyncratia, temperamentum iam naturalem ſecum vehunt ad morbos diſpositionem. An ad varios morbos praefertim propagatione contagiosos naturalis diſpositio ſpectat?

(*d*) FERNELIUS l. c. de morb. cauf. p. 204. sed FVCHSIVS l. 2. c. 2.  
vt AVICENNAE commentum continentem explodit.

(*e*) GALENV in Def. med. Def. 157. & MERCATVS l. c. p. 624. eti inutilem, intra causam coniunctam & continentem, distinctionem adhuc profert.

(*f*) BAGLIVI l. c. de cauf. prox. p. 209.

(*g*) Tam ex ſpeciali caufarum recenſione, quam vocabulo generali pro proxima caufam materialem plurimi ponunt auctores, ſed ea poſita non ponitur morbus, eti ea de mera morbus dematur. Quia ideo, praecipuum quin ſaepe, in acutis vnicam efficit indicatiōnem, ex ſubreptionis vitio auctores affuſerunt. Morbo autem prius in corpore exiſtit, cum proxima poſita, morbus ſimul ponitur.

Ma-



bis sed re ipsa dissentient, consentientes, rationem morbi continere.

Materialis - ut cum veteribus loquar - formalis adhuc caret, quae cum materiali iuncta, proximam demum efficiunt. Cum ea auctorum proxima, in ultima causarum serie consistente conuenit. Id notandum est, quod veram morbi essentiam & morborum genere similium characterem constitutā vid. §. 9. Haud igitur video, si individualem causam ex ea efficere non placet, cur, ad praedispontium species non referre licet. — Si quid libris medicis incerti ineft, certe materialem respicit causam. Acerimae litigations sententiae e diametro sibi oppositae, magna que phantasiae ludibria hac de re inueniuntur. Cum sensus fugit plurimum, & ratione eruenda est, statim medicina vix surrecta tanti fuerunt dissensus ut Empirici in solo vsu experimentisque acquieuerent, vti CELSVS in praef. p. 8. nobis reliquit. HIPPOCRATES in remotis felicior, tamen in materiali sere semper in bile pituitaque acquiescit, vti lib. de aerib. loc. & aquis testatur. HEROPHILVS omnes ex vitio humorum repetuit morbos, & ERASISTRATVS duorum priorum antagonista, cacoehymias reiciens, solummodo plethora & suam ~~ταραχητων~~ amplectitur vid. GALENVS de V. S. aduersus ERASISTR. c. 3. & Isag. cap. 8. ASCLEPIADEN ex diversis corporeis manantibus accidentibus morborum causam deriuasse idem Isag. c. 9-12. retulit, & haec fundamentum sectae methodicae surrogauit. Humorista GALENVS, PRAXAGORAM secutus, notam humorum quaternionem excœlit, tempiemque individualem singulis adscriptis. Euacuantum in morbis abusus, & decantationis humorum expectatio, in multis morbis nocua deriuare potest, de qua re FR. HOFFMANNVS ob V. S. in acutis, omissione propter criseos perturbationis metum in STAHLII Dissert. (vt mihi videtur) de Venæfectione iam insurrexit. Vid Med. rat. syst. T. III. l. II. c. IX. p. 599. Per quam longum tempus, obcoecato quasi obsequio GALENI theoria exercitata fuit, ex historicis patet, vsque philosophus per ignem, PARACELSVS cum sale, sulphure & mercurio, illam explodere tentauit vid. BARCHHVS Hist. med. dial. XIV. -- Quem latet ridiculosa HELMONTII & enthusiasti FLVDDII theoria? OTTO TACHENIVS per sales dines, in morbo nil nisi acidi & alcali fermentationem deprehendit, & WIRDIGIVS, BONTEKOE, OVERCAMP, DE LE BR'E SYLVIVS, per eum seducti, falsam amplexere pathologiam vid. STAHL in prop. de path. falsa H. M. 1698. fungula-

tinere. SENNERTVS (h) vt vltimam in serie causarum illam considerat, morbum euoluentem, sique cum remotis confundit. FVCHSIVS (i) causam proximam & morbum synonima esse contendit, vt ita producens & productum vnum efficiant. Plurimi materialem esse ex scholio h. §. 9. facile videtur. Reete autem a ZIMMERMANNO (k) GAVBIO (l) SELLIO (m) in causarum §. 18. & 19. coniunctionem, proxima ponitur, atque ex harum viribus componi. Haec immediate rationem continent, ac ad huius diminutionem vel ablationem, saepe in materiali consistens, morbus nunc minuitur nunc tollitur. Claram nobis morbi ideam eius cognitio sistit, sed ad hoc, plenaria, causarum occasionalium & praedispontentium, cum eorum in corpus valore, supponitur perscrutatio. Tota morborum diagnosis prognosis & indicationes proximam respiciunt, sique medicus fallitur, id ex eius ignorantia fit. Vtinam de morbis semper eruenda sit, & ipsae indicationes curatiuae, a repetita morborum historia depromptae, illi veritatem debent, & remediis deserimur, ea ignota, dicente iam Diuo Coo: quae enim

pro-

gularem plane theoriam, A. HAVPTMANNVS exstruere pollicitus est, inque putredinem animatam morbos relegavit v. STOLLU H. Med. p. 533. In Anglia TH. WILLIS magnam sibi acquisiuit famam, per duarum in homine animalium praesentiam, hominemque fermentatione nasci, nutritri, aegrotare & mori &c. Felix autem nostra posteritas ex omnibus plus minus retinuit, & quam multae, in causarum catalogo, tantum in museo recensentur, incio aegri corpore. GAVBIVS in Praef. path. ad finem energetice veritatem loquitur, "Candide, inquiens, dicam me indies, dum in artis vsu versor, dediscere, quam discere, & incremente actate minui mihi potius quam augeri scientiam, tantumque abesse, vt etiam, si ad hunc laborem redire vnuquam dabitur, nonnulla forsan a me resciplsum ire credam".

- (h) SENNERTVS l. c. P. II. c. I. p. 341.
- (i) FVCHSIVS in Inst. l. 3. c. 2.
- (k) ZIMMERMANNO l. c. B. 2. p. 145.
- (l) GAVBIVS in path. §. 60.
- (m) SELLIO in pyret. praef. §. 17. p. 36.



profecerunt, ob rectum vsum profecerunt. Viri sagaces iam monstrarunt, ad magnum medicinae compendium, vnam eandemque causam proximam, pro diuersitate loci &c. inter se absimiles sistere morborum species, curatione generali eadem manente, & vice versa (n). BOHNIVS inquit, scrutetur medicus symptomatum causas proximas, quo, illis, quantum possibile inuentis, felicius ac facilius succurrere queat malis (o).

### T A N T V M.

Quid verum, atque decens, curo & rogo, & omnis in hoc sum:  
Nullius addictus iurare in verba magistri.

HORAT. Ep. l. 1. ep. 1.

(n) SYDENHAM in praef. p. 7. ZIMMERMANN l. c. T. 2. B. IV. K. 3.  
p. 125. GAVBIVS §. 63. & HIPPOCRATES in libro de flat. id iam annotauit, dicens, "quare videntur quidem morbi nihil simile habere, propter diuersitatem sc locorum, quem sit tamen vna morborum omnium species, & causa eadem".

(o) De offic. med. dupl. c. VII. p. 163.

### T H E S E S.

MVSSCHENBROECKII mechanica de gustu explicatio haud valet.  
Nullum animi pathema orientenus specificie in partes operatus quasdam.

A bilis secretione, respectu fontis, ad alias non valet consequentia.  
Experimenta C. H. chimica, in physiologia parum profunt.  
Operis pistorii virus nocivus, ex altero tritici principio animali, a Beccari detecto, evidens fit.


De vi, in cadaueribus iniiciendis adhibita, vim cordis probare non possumus.

Contractio arteriarum ab elatere pendet, & mechanismus vitalis carum vi vitali in statu praeternaturali ytitar.


Nullum exanthema morbus primarius.  
Partus difficilis & praeternaturalis differunt.

Pus laudabile opus est virium vitalium, & minime partium consumptio.

Sphacelus fere semper solidis debetur, non primum fluidis.  
Sectio caesarea omnibus in casibus dissectioni symphysios ossium pubis est praferenda.








6018 rica





25

DE  
STATV MORBO SO  
GENERATIM

GRATIOSI O

C

GRAD V

DIE

PUBL

A

AVGVSTVS FR

HASSC



G

APVD IOANNEM IA

